



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Michaelis Archangeli Wengense cœnobium, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Cetera sat felix: nisi reddere lapsa parantem

Pressisset dura parca citata manu.

Nunc meliora tenet cœlesti sede potitus,

Et, quem speramus, contigit ante locum.

65. *Joannes de Cellis* successit Abbati Vincentio anno Domini 1525. Is cum tale epitaphio terræ parenti redditus est:

D. Joanni à Cellis, Abbati, reparatori hujus monasterii, qui per annos 23. monachorum gregi sibi commissio feliciter præfuit, atq; illius commodis, quieti & fortunis vigilantissime prospexit, Joannes ex Comitibus de Isenburg, Archiepiscopus Treverensis, & prius coadjutor, deinde Commendatarius & successor P. Vixit annis 74. Obiit anno 1548. 11. Julii.

66. *D. Joannes*, illustris Comes Isenburgius, Gerlaci ex Domina Anastasia Sarwerdensi Comitissa filius, Archiepiscopus Trevirorum urbis dignissimus, sacriq; Romani Imperii Princeps Elector, administrator S. Maximini assumtus est anno Christi 1548. Is sequente anno Domini 1549. locum tenentem designavit & constituit in cœnobio S. Maximini, Reverendum ac genere & virtute nobilissimum virum, *D. Joannem de Petra*, archidiaconum vel chorepiscopum (ut vocant) Treverensem majorem.



S MICHAELIS Archangeli Wengense cœnobium, ordinis D. & instituti regularium Canonicorum S. Augustini, quod nunc tertio loco intra ipsa civitatis Ulmenensis mœnia situm est, in monte urbi vicino & hodie adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primum cœpit anno Christi 1183. indictione secunda, Imperante Friderico Barbarossa, Romanæ vero cathedræ presidente Pont. Max. Lucio III. ad Episcopatum autem Constantiensem & Abbatiam Augiensem sedente Diethelmo, fundatum & constructum à nobili ac generoso viro, Wittigovo, Comite de Albegke, & ejus conjuge Domina Bertha, in hoc ipso cœnobio quiescentibus & sub honorifico tumulo humatis: quod è sequentis transfumti ab Henrico Antistite Constantiensi dati honesto testimonio ita verissimum esse liquet, ex quo finis etiam & ratio constructæ talis domus pulchre videri ac deprehendi potest.

In

In Christi nomine, Amen. Nos Henricus, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Constantiensis, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, ad quos præsentibus literæ pervenerint, quod sub anno Domini 1357. feria tertia ante festum S. Michaelis proxima, pro parte religiosorum in Christo præpositi & Capituli Canonorum regularium, monasterii ac præposituræ in Insulis prope Ulmam nostræ Constantiensis dioceseos, cum reverentia (qua decuit) literæ infra scriptæ nobis præsentatæ fuerunt, & petitum, ut, visis & perlectis eisdem literis cum sigillis earum authenticis, literas easdem cum sigillorum descriptionibus exemplari & describi mandarem, ipsarumque totum tenorem cum ipsarum sigillis eisdem literis impendentibus autoritate ordinaria approbando & authenticando (ut pronunciamus & etiam in posterum, sicut & ipsa originalia, in iudiciis & extra fidem facere possent) confirmare dignaremur. Nos vero attendentes, quod summa ratio est, quæ pro religione sacra facit, & quia dicta instrumenta integra & illæsa invenimus, idcirco ea exemplari & ipsarum totum tenorem cum sigillis earum authenticis describi mandavimus, approbavimus & confirmavimus, ac etiam præsentibus confirmamus & approbamus, decernentes, ut dicta exempla eandem fidem, quam & ipsa originalia, in iudiciis & extra perpetuo fortiantur. Tenor autem dictorum instrumentorum sive literarum est talis.

Literæ foundationis in se.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis. Cum ex verbis ipsius Domini discamus (Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis) notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nobilis quidam, Witigoweus de Albegkhe pro salute & remedio animæ suæ & omnium parentum suorum, à quodam monasteriali Augiensis Ecclesiæ (pretio interveniente) obtinuit montem & domum S. Michaelis apud Ulmam situm cum omnibus appendentiis suis, quem usque ad hæc tempora jure proprietatis possedit, ut in usus Augiensis ecclesiæ conferret, & omne jus ac proprietatem & possessionem in ecclesiam transferret. Ex consilio autem religiosorum illius temporis virorum instituit, ut præ-

prædictus locus, domus Hospitalis, pauperum refocillatio & a-
 sylum peregrinorum in æternum permaneat. Eidem domui
 præpositum cum aliis Canonicis, sub S. Augustini regula devote
 degentibus, præficiendum ordinavit. Ut autem peregrinantes
 in eodem loco (quia propter ipsos præcipue est fundatus) hone-
 stam consolationem de communi alimonia fratrum assidue inve-
 niant, præpositus ejusdem loci personas ad serviendum Deo
 congruas recipiat, & in recipiendo modum non excedat, ne pau-
 perum consolatio decrescat. Fratres in præfato loco sibi præpo-
 situm libere eligant, & electum suo Domino, Abbati Augiensi
 pro investitura ab ipso suscipienda quantocius (ne locus desole-
 tur) repræsentent. Si vero (quod Deus avertat) in dicta electio-
 ne partes fuerint, Abbas Augiensis, consilio Advocati domus il-
 lius, charitatis sanioris electum investiat. Sin autem fratres sine
 rationabili causa electionem distulerint, Abbas Augiensis consen-
 su Advocati (ne domus pauperum destituatur) citatis fratribus,
 ubi Advocatus fuerit præfens, causam dilationis diligenter in-
 quirat & ad eligendum præpositum in Deo persuadeat. Sin au-
 tem injuste renunciaverit Abbas, cum Advocato de regula Au-
 gustini honestam personam ipsis præficiat. Notum sit etiam om-
 nibus, quod Witogoveus, fundator ipsius loci, pro defensione,
 absq; omni exactione, jure dominii ab Abbate Augiensi susci-
 piat Advocatiam, & eadem Advocatia ut ad omnem suam po-
 sterioritatem, scilicet ad seniore[m] masculum transeat, instituit. Item
 dictus loci fundator omnibus suis hominibus pro remedio ani-
 mæ suæ res suas, tam mobiles quàm immobiles, ad montem
 Michaelis conferendi libertatem ordinavit. Similiter dictæ do-
 mus author pro honestate & utilitate loci, ab ipso loco & ab om-
 nibus pertinentibus, ad ipsam congregationem mulierum
 commodam, removere firmiter ordinavit & instituit, videlicet, ne
 secundum consuetudinem aliorum cœnobiorum sorores in con-
 sortium fratrum assumantur. Ego Diethelmus, Abbas Augien-
 sis, consensu fratrum meorum & ministerialium communicato
 consilio, ut hujus ordinationis Witogovæi constitutio, quam
 honestam & rationabilem & intuitu Dei inceptam vidimus, fir-
 mum

Nnn

mm

*Hospitale
 peregrinorum
 pauperum*

mum apud nos & successores nostros suæ perfectionis tenorem obtineat: & domus B. Michaelis de immutabili donatione gaudeat, placuit nobis præfatas traditiones sigillo Ecclesiæ nostræ communitate. Concedimus etiam, ut liceat omni familiæ Augi-ensis domus, servorum & ministerialium facere commercium vobiscum rerum suarum, mobilium & immobilium, per donationem, commutationem & venditionem. Hujus rei testes sunt Leopoldus Dux Austriæ, Rudolphus Palatinus de Tubingen, Mangoldus Comes de Veringen, & filius suus Eberhardus: Burcardus Comes de Hohenberg, Conradus de Schuffenried, Diemo de Gundelfingen, Ernestus de Stusselingen, & alii quam plurimi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1183. indictione secunda, regnante Friderico, Imperatore Romanorum invictissimo & semper Augusto, in ipsius conspectu apud Ulmam. Characteres autem sigilli suprascripti instrumenti hoc sonant: Sancta Maria Dei genitrix. Ipsumque sigillum rotundum, & in medio sigilli effigies sive imago S. Mariæ est desculpta, & filum de sericis gilvis & rubeis est ipsi instrumento appensum. Datum & actum Constantiæ año Domini 1357. quarto Kalend. Octobr. Indictione decima.

Comites de Albegk, vel Alpium Suevie angulo, cujus nominis opitulum ab est per unum saltem militare ab urbe Ulmeni, cuius S. P. Q. paret.

Benefecerunt huic cenobio aut peregrinorum hospicio hi quoque sequentes reguli & Domini, quorum memoriam ad posterum etiam servari, cum boni fuerint & utiles Reipubl. dignum nostro studio, quin & æquum ac justum est. Beringerus Comes de Albegk frater fundatoris contulit eidem monasterio anno Domini 1219. ecclesiam seu sacellum S. Andree in villa Stotzingen. Hanc collationem Gregorius IX. Pont. Max. confirmavit.

Siboto de Albegk Comes, qui & ipse fundatoris frater germanus fuit, unã cum filio suo Witogovio, eidem monasterio tradidit ecclesiam S. Martini in Hervelsingen, cum jure patronatus & aliis ad eam Ecclesiam pertinentibus possessionibus & immunitatibus anno 1219. sub Friderico II. Imperatore, & Honorio III. Pont. Max. & Sifrido, Episcopo Augustano, eam ipsam donationem sua autoritate confirmantibus. S. P. Q. Ullmensis dono dedit

dedit eidem Ecclesiam S. Barbaræ in Holtzkirchen anno Christi 1398. cum antecedentibus annis (quibus Carolus IV. & Wenzeslaus Imperatores urbem obsidione cinxerant) cœnobium extra urbem in Insulis, vulgo in den Wengen vocatis, situm fregissent & solotenus vastassent, ne Imperatoris exercitus inde Ulmenfurbi aliquid damni inferre posset. Dedit idem S. P. Q. Ulmenfis pro eodem loco extra urbem sito spacium illud, in quo nunc est sita Ecclesia Wengensis, cujus fundamenta jacta & posita sunt anno Domini 1399. ab Hartmanno Ehingero, Consule Ulmenfi. Alii benefactores hujus cœnobii fuerunt

Albertus, Comes de Tillingen.

Rudolphus, Comes de Werdenberg in Albegg, anno

1343.

Witogorus Advocatus, cujus uxor Luiburgis.

Henricus, Marchio Burgoviensis probissimus

Philippa, Comitissa de Sevelingen.

Gisela, soror Lotharii Regis.

Eberhardus, nobilis de Eringstein.

Adelheidis, Comitissa de Kirchberg.

Conradus, Comes de Werdenberg, filius Henrici apud Wengenles sepulti, qui vendidit Comitatum Albecensem S. P. Q. Ulmenfi.

Comita-
tus Albe-
censis ven-
ditur.

Luicardis, de Arneck advocatissa.

Henricus, Comes de Werdenberg, & ejus conjux relicta D. Imagina.

Philippus, Rex. Rom. Barbarossæ filius.

Otho Dux.

Ulricus, Comes junior de Wirtemberg, qui obiit anno

1335.

Adelheidis, Marchionissa Burgoviana.

Adelheidis, Comitissa de Helfenstein.

Stephanus de Holtzkirchen, magni benefactores & apud mo-

Fridericus nachos Wengenses sepulti.

Rudolphus de Klingenstein.

Gerwicus de Stotzingen, miles.

Habuit hoc monasterium semper gubernatores Præpositos, quorum talis extat catalogus.

1. Primi nomen ignotum est, qui anno 1183. ex Marbacensi Alfatia coenobio, prope Colmariam sito, assumtus esse legitur.
2. Secundi itidem ignotum, qui electus fuit anno 1190. Obit anno 1200.
3. *Sifridus* tertius, ultimus in Monte & primus in Insulis Blavi annis. Siquidem ejus temporibus, anno videlicet 1215. facta translatione, inchoatum est monasterium S. Michaelis in Insula sub Sibothone, Comite de Albegg, monasterii Advocato, temporibus Philippi & Othonis Imperatorum, inter quos grave erat schisma. Præfuit is huic loco 26. annis. Obit anno 1227.
4. *Diepoldus* eligitur anno 1227. Præfuit annis novem.
5. *Lutho* eligitur anno Christi 1236. Sedit ad gubernaculum annis 12.
6. *Henricus* eligitur anno 1248. non diu post electionem superstes.
7. *Otho Arelopusius*, septimus Præpositus, præfuit anno 1250. quo consecratum est monasterium, in Insulas translatum à Sibotone Augustano & Eberhardo Constantiensi Episcopis, sub Witigoveo, Comite Albecensi, Sibotonis filio, Advocato.
8. *Martinus* eligitur anno 1270. Præfuit 28. annis.
9. *Conradus* eligitur anno 1298. Præfuit annis 14.
10. *Joannes Straß* Præpositus eligitur anno 1312. Præfuit annis 23. & obiit anno 1335.
11. *Truchbelinus* eligitur anno 1336. & obiit anno 1341. cum sedisset annis quinque.
12. *Bertholdus*, duodecimus Præpositus, præfuit ab anno Domini 1341. usque ad annum 1353. quo exauthoratus cessit, obtentatamen annua pensione.
13. *Conradus* Præpositus præfuit usque ad annum Domini 1381.

Sub hujus Præpositi gubernatione parochiale templum omnium Sanctorum (quod erat in suburbio Ulmenſi ampliffimum) anno Domini 1377. dejectum ſoloq; æquatum & in ipsam urbem translatum eſt. Frater *Felix Fabri*, Ulmenſis monachus & chronographus diligentiffimus, has affert cauſas. Tunc multiffime Ulmenſes, ne feſtis diebus (uniuerſo populo foris ſacra audiente) urbs interim proditione ac perfidia aliqua ipsis interciperetur. Deinde, quod pauci ex opulentioribus civibus ad parochiale templum extra urbem ſitum, ſed plerumq; ad cœnobium, intra urbem ſita, commeare ſoliti fuiſſent: quò omnem etiam ſuam liberalitatem ſuaſq; eleemoſynas vertiſſent, ibiq; cum ſibi, tum poſteris ſuis ſepulchra legiſſent, neglecta interim parochiali eccleſia: commodum itaq; ipsis ac utile viſum, ut templum parochiale in civitatem transferretur. Emto igitur partim à S. Claræ monialibus & Franciſcanis monachis, partim vero à Duce Wirtembergensi (qui propter Bebenhuſianos monachos aliquid juris in civitate habebat) juſto ſpacio, eoq; pulchre æquato & repurgato, fundamenta futuri templi maximi ſtrenue fodi cœpta ſunt. In quæ primis lapis ab urbis clero S. P. Q. ſingulari reverentia & pompa poſitus eſt ultima Junii, anno, quem ſupra dixi. Lapidem funibus demiffum in ipsis fundamentorum foſſis excepit Ludovicus Crato Conſul cum quibusdam Nobilibus civitatis: demittebant vero eundem Johannes Ehingerus cognomento Habſtus, & Conradus Befferer, præcipui civitatis Capitanei, aliiq; præcipui Senatores ac Patricii. Poſito primo ſaxo in fundamenta, obtulit illico ſuper idem, tanquam in aram, centum aureos Rhenenſes Ludovicus Crato Conſul: cujus exemplum & cæteri non tantum Nobiles & Senatores, ſed & plebei cives omnes imitati, ſinguli ſua ſymbola in auro & argento (non enim obulis & denariis res agebatur) quisq; tamen pro ſuarum facultatum modulo ad novam Baſilicam extruendam liberaliter conferebant. Ex hac inſigni collatione (accedentibus interim aliis etiam potentiorum civium, & equos & ſervos ſuos ad facienda opera paratis animis accommodantium, ſubſidiis) conſtructa & in ſpacio centum ac undecim annorum erecta, teſta,

N n n 3

Parochiale templum Ulmenſe omnium Sanctorum, cur fuerit ſolo æquatum.

Lapis parochialis templi Ulmenſis, à quo poſitus.

Beate Virginis Marie Parochialis Basilica & Turris Ulmenfis. acin universum absoluta, arisque insuper una & quinquaginta elegantissime decorata est, incomparabilis & magnificentissima illa Divæ Virginis Matris Basilica Ulmenfis, unâ cum adjuncta memorabili ac maxime insigni turri: ajuntque urbis ipsi etiam Senatores, novies centena aureorum nummum millia collocata esse in exædificationem & ornatum parochialis hujus Ecclesiae, qua verè nulla est spatiosior, nulla sumtuosior, nulla augustior in univèrsa Germania: imò neque ullum aliud sumtuosius ædificium (excepta sola turre & Basilica Argentinensi) in tam brevi temporis spacio in sublime eductum & cum tanta admiratione absolutum est.

14. *Petrus Neger* dictus, in Insulis ultimus & in civitate primus præpositus. Is anno 1399. invenit in Insulis ollam plenam Blabhardis; est hæc moneta argentea valoris trium cruciferorum. Sub hoc destructum est totum cœnobium in Insulis: lapides Ulmam vecti ad ædificationem cum murorum, tum majoris Basilicæ. Sub eo ipso (secunda translatione propter bellicosum multus facta) inchoatum est monasterium Wengense intra muros Ulmenfes, eodem anno 1399. ipsa die S. Leonhardi, qua positus est primus lapis, post concordiam inter Ulmenfes & Præpositum factam per Episcopum Constantiensem, Burcardum, & Abbatem Creutzlingensem, Eberhardum. Obiit tandem anno Domini 1405.

15. *Bertholdus*, decimus quintus Præpositus, at secundus in civitate, & ipse Neger dictus, aliàs Pistor, vel Græco vocabulo Artopæus, qui secundus quasi Wengensis monasterii exitit fundator, eligitur anno 1405. Præfuit 22. annis. Obiit anno Domini 1427. Erat vir gravis & strenuus, monasterii vero sui abfultor & illustrator egregis.

16. *Udalricus Strobilius*, aliàs Maier, ex Langenaw pago Ulmenfi natus, eligitur anno 1425. superstitè adhuc antecessore. Præfuit 20. annis. Obiit anno 1445. Sepelitur in medio choro. Fuit vir religiosus & divini cultus studiosissimus, quiq; multis ædificiis cœnobium suum illustravit.

17. *Conradus*, vir nobilis, patre Joanne de Plintheim, matre vero

vero Anna de Liechtenstein natus, artium Baccalaureus, eligitur anno 1445. Præfuit annis 19. Obiit anno 1464. Vir eximie prudens, bonusq; œconomus & cœnobii sui pulchris ac utilibus ædificiis diligens illustrator. Interfuit Concilio Basiliensi, in quo consecutus est confirmationem.

18. *Sigismundus Ebinger*, Patricius Ulmensis, successit *Conrado*. Obiit anno 1468. cum præfuisset annis tribus cum dimidio. Homo prodigus, qui quod antecessor corraferat, decoxit & dilapidavit misere.

19. *Ulricus Krafft*, & ipse Patricius Ulmensis, eligitur an. 1468. Præfuit annis 12. Obiit an. 1480. paralyti. Accepit coadjutorem *Mathæum* anno Dñi 1479. tactus apoplexia 13. Febr.

20. *Matthæus Zimmermann* constituitur Præpositus anno 1480. Præfuit annis 9. utiliter. Reformavit cœnobium cum auxiliis *Raymundi Legati Pontificii*, & *Ulrici Brodkorb*, Præpositi in *Undersdorff*. Tandem retenta annua pensione resignavit anno 1489. Obiit postea anno 1505.

21. *Vitus Deselius*, Austriacus, primus Præpositus in reformatione, ex *Undersdorffo* assumtus, eligitur anno 1489. & eodem die contra *Juris consuetudinem* confirmatur. Fuit studiosus collector *Bibliothecæ*, ædificia vero egregie ornavit. Erat homo afflictæ valetudinis, manuum & pedum tandem beneficio destitutus, qui totum triennium sedendo in sella consumsit, donec vitam finiret ei

Adveniens tandem lugubri funere Parca.

Quinq; mensibus ante mortem libere resignavit, nihil sibi pensionis annuæ reservans, quam victum & amictum, instar alterius cujusdam vel infimi ex conventu.

22. *Joannes Man* eligitur anno Christi 1497. Resignavit gubernationem anno Christi 1509. cum præfuisset 12. annis. Obiit vero anno 1514.

23. *Michaël Otterlin* de *Wolmatingen*, *Constantiensis*, *Helveticus* cognominatus: eligitur anno 1509. Præfuit annis 12. Reædificavit anno Christi 1519. collapsum fanum *Erbacense*, ad *Danubium* situm. Obiit anno 1521.

24. Am-

24. *Ambrosius Khaut*, patria Ulmenfis, successit Michaeli, legitime electus & constitutus anno supradicto, quo antecessor ex hac vita emigravit. Præfuit prudenter & utiliter annis jam 29. Nam & hoc adhuc Jubileo currente ad clavum ejusdem loci sedet. Secefferat propter mutatum ecclesiasticæ doctrinæ genus Uberlingam, ad lacum Acronianum anno Domini 1530. ubi laboravit per 16. annos in camera Imperiali pro cœnobii sui recuperatione: tantumq; effecit, ut tandem ab ipso Senatu Ulmenfi revocaretur. Rediit itaque Ulmam anno 1549. ubi cœnobium partim lacerum, partim in bellicis tumultibus ad alias ac profanas res usurpatum admodumq; mutatum, reformat ac instaurat: ut ex his sequentibus inscriptionibus (quas parietibus templi apposuit) patet:

*Vitus Deselius, quem Pannonis ora creatat,
Præpositus templi pro vidus hujus erat.
Ille reformavit clerum hic, construxerat huncq;
Ingenti studio & sedulitate chorum:
Quem cum fecissent tandem quidam undiq;, nostræ
Fautores qui non religionis erant,
Instauravit eum præclare rursus honestus,
Ambrosius Cautus nomine, Præpositus.
Quod factum est illo ipso fausto scilicet anno,
Qui latius Jubilus dicitur esse viris,
Quoq; anno electus Romana Præsul in urbe,
Julius, hoc titulo tertius ipse fuit.*

Alia inscriptio.

*Hoc opus Ambrosius feci, qui nomine Cautus
Dicitur etiam patrio, Præpositusq; fui.
Quisquis id intueris, mihi leta & fausta precare,
Susceptumq; iterum carpe, viator, iter!*

Alia.

*Ambrosius patrio Kaut nomine dictus, in Ulma
Natus, Præpositus istius ædis eram.*

*Resitui quam post Germani funera belli :
Tu miserere animæ, maxime Christe, meæ.*



S NABORIS cœnobium Benedictinum, in ejusdem nomi-
nis præclaro apud Lotharingos oppido situm, Hilariacum
antiquitus vel nova S. Hilarii cella, à primi oratorii conditore, S.
Fridelino Scoto, Hilarii istius discipulo, dictum, fundatum est &
eximio fundamentis solerti studio constructum à Sigisboldo tri-
cesimo sexto, potentissimæ Mediomatricum urbis Episcopo.
Dedicatum est in honorem D. Pauli, gentium doctoris, anno
Domini 714. sub Gregorio III. & Zacharia, piscatoriæ navis te-
monem apud Romanam urbem moderantibus, Imperatore ve-
ro Leone III. Donatum est corpore S. Naboris martyris anno
Domini 765. à Crodegando, tricesimo septimo Metensis Ecclesiæ
Antistite, qui Romam petens à Paulo Pontifice tria obtinuit fan-
ctorum martyrum corpora, S. Gorgonii, quod in Gorzia mona-
sterio, S. Naboris, quod in nova hac cella, B. item Nazarii, quod
in monasterio Lorsheim venerabiliter condidit. S. Naboris à
terra elevati & post summam aram collocati tumulus subscriptos
habet versiculos:

*Gorzia,
& Lors-
heim, cœ-
nobis.*

*Martyris egregii contentas cerne Naboris
Reliquias tumba hac, præclaro stemmate nati.
Quem, quia sacra Jo-vi nollet deferre profano,
Verberibus diris collisum Maximianus
Cœlicolis addens, testem necat ense cruento.
Ast tandem, nutu Tiberinæ sedis alumni,
Mirifice nostras duxit Crodegandus ad ædes.
Quem Mediomatrix pastorem Ecclesia habebat,
Secula bisseis septem super addita lustris,
Nec non Olympiadi: quando per amœna saluti
Tempora signarent nostræ pergratæq; semper.*

*Hoc est,
anno 765.*

Supremam tandem manum huic cœnobio adjecit, idque &
opibus & privilegiis auxit Angilramus, tricesimus octavus Me-
tensium Episcopus, summus cœnobialis vitæ alumni, in eo-
dem monasterio unâ cum primo ejus fundatore, Episcopo Si-
gis-

ooo

gis-